

Disputatio medica inauguralis, quam de usu et abusu mercurii in lue venerea / ... defendendam suscipiet Joh. Nicolaus Schippel.

Contributors

Schippel, Johann Nikolaus, 1649-
Major, Johann Daniel, 1634-1693.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kiliae : Literis Joach. Reumanni, 1673.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cm8rjfmf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

Quam De
USU ET ABUSU

MERCURII

IN LUE VENEREA,

Die XVI. Mens. Septembr. Horis ante & post Merid.

PRÆSIDE

JOH. DANIELE MAJORE,

Phil. & Med. D. & Prof. P. Facultatis

Med. h. t. Decano,

PRO LICENTIA

Consequendi summos in Medicinâ Honores,

defendendam suscipiet

JOH. NICOLAUS SCHIPPEL,

Smalcaldensis.

KILIÆ,

Literis Joach. Reumanni, Acad. Typogr.

M DC LXXIII.

DISPUTATIO MEDICAE PRAECIPUA
AUCTORITATE
MEMBERGII

JOHANNES MAJORE

Ordinarius Professor in Medicinae Honoris

JOHANNES SCHMIDT

KILII
LITAE RIVINAE
A. D. 1711

CAP. I.

De

Lernâ Malorum Venerea.

THES. I.

S In Medicinâ tres constituere liceat Furias, extra dubium est, inter Morbos, qui ob diuturnitatem Chronici dicuntur, nullos atrociores, & hominem ad mortem usque multipliciter magis enervantes, lentâque nece interimentes, inveniri posse, quàm Hypochondriacam, Scorbutum, & Luem Veneream.

II. Quarum ultima præsertim eò formidabilior est, quò majorem sola ferè Syndromen Morborum ac Symptomatum, quàm reliquæ conjunctim, habet: Eodemque, quod semel invasit, Individuo non contenta, contagiose, ac levi negociô ad plura divagatur; Hypochondriacâ & Scorbuto, habitatione, ut sic dixerim, suâ acquiescentibus.

III. Et licet difficile, imò impossibile videatur, ob diversitatem Causarum, Ætatis, Sexus, Temperamenti, & Loci, illam Syndromen, dum omnibus Individuis non una eademque est, accurate determinare; in plerorumque Curatione tamen, Remediis aliis nihil proficientibus, ultimùm tandem ad *Mercurium* confugiamus: ideoque ut ejus cautissimè habendus *Usus*, & magnitudo periculi, ejusdem *Abusu* orientis, eò clariùs ob oculos ponatur, quicquid etiam ex *Botallo* fortè quis obgerat, Recensionem Venerearum Ægritudineum, *Morosam* saltem *cenfuram*, *vanasque ac odiosas divisiones* nuncupante, *lib. de Lue Ven. c. 1.* non incommodum morosumvè futurum puto, si Catalogum

gum quendam præcipuarum illarum Ægritudinum brevi-
ter prius afferam, quæ, tanquam noxii Flores, in hortulis
Venerum crescunt, & tanquam flagello multifido illos
excruciant, quicumque vel vagis ac impuris invigilarunt
Amoribus, vel per incuriam etiam, aut infortunium, ci-
tra congressum, ex solò oris, manuum, aut aliarum cor-
poris partium, vel etiam vestium, aut linteaminum su-
spectorum contactu, aut *suctu lactis* ex Nutrice clam spur-
câ, in similis mali contagium præcipites aguntur: cujus
rei Exemplum peculiare Dn. Præsidi notum est. Ac re-
fert *Hildanus cent. 5. obs. Chir. 100.* aliquem Scabiosum, qui
fortè in lectum, sudore Venereo infectum devenerat, in-
sanabilem Luem exinde contraxisse.

IV. Morbi itaque primùm, ratione Generum di-
stincti, e. g. sunt Hi: *Cachexia*, ex Ulcere Venereo, non
perfectè curatò. *Contabescencia* aut *Marcor*, vel Extenu-
atio corporis. *Febris Hæctica*, in Lue confirmatâ, homi-
nem usque ad mortem comitans. Veletiam *Febricula*
alia, Tertianæ tenorem referens, in Biliosis. Aut *Febris*
continua à Bubone; aut calidiusculo & tumente Inguinum
abscessu. *Decoloratio Corporis*, suffragante *Hippocrate l. 2.*
Prædictorum (etsi ibidem non de Venere contagiosâ, ta-
men de immoderatâ, loquatur: *Si sapius Venerem exercu-
erit, corpus decoloratius erit, & majore lassitudine tentatum.*
Porro *Macula Cutis*, nunc parvæ, instar lentiginis, aliquan-
do latiores, & livido rubræ, nunc flavescentes; augmen-
tum Luis Venereæ significantes. Quæ *Rubedo*, inquit *For-
restus lib. 32. Schol. ad Obs. 4.* *Si disparuerit, paulò post fere
revertitur, aut pustulas de se edit.* Vel imprimis *Tubercula*
passim. *Erysipelas*, vel *Rosa*, Bubonem interdum præce-
dens. *Elephantiasis*. *Scirrhii*. *Tophi*, aut *Gummatæ* subcuta-
nea-

nearum partium ; Præcipuè verò supra periosteà ; quæ
ingravescentis mali perspicua signa sunt. Vel *Pustula* du-
ræ hinc inde in ambitu corporis ; cum vel sine crustâ ;
Saniosæ, aut non saniosæ ; ex quibus itidem Mali ferociam
aliquam, nisi jam tertium gradum ejus, arguimus : &
discrepantes magnitudine, figura, colore, caliditate,
tempore, aut loco, juxta diversitatem prævalentis in Cor-
pore vel Sanguinis, vel Biliosi, Pituitosi, Serosi &c. Humo-
ris. *Defluvium pilorum*, ob Alimenti defectum, vel cor-
ruptelam. Quod tamen, si sine aliis notabilibus læsioni-
bus corporis accidat, primum tantummodo & infimum
gradum mali notat. *Bubones* item alicubi, parvi primùm,
nec dolorosi ; in aliis tamen etiam dolorosi ; quos inter-
dum præcedit Erysipelas vel Rosa, ut ante diximus. Quod
quidem etiam in Bubone non Venereo quandoque acci-
dit ; differentiæ tamen rationes aliquas dat Celeberr.
Sennertus (Med. Pract. Libr. de Lue Ven. c. 6.) quas ibi vi-
de. *Glandularumque Tumores* alii. In confirmatâ item
interdum *Ulcerâ Malignâ* variarum partium, fistulosa, cal-
losa, cancrosa ; neque cutim modò, sed vel ad ipsas Car-
nes, Musculos, Tendines, ac Periosteorum Texturas pe-
netrantia.

V. Aut, ut paulò distinctiùs agamus, *Morbi Venerei*
in *Capite* præsertim observandi quandoque, sunt e. g. hi :
Tubercula & *Pustula Capitis* duræ, cum vel sine crustâ, &
ferè sine dolore, subitoque exortæ. *Defluxus capillorum*,
Italisch *la Pelarella* dictus ; & præsertim, (inquit *Forestus* Libr.
32. Schol. ad obs. 4.) *Si quis Areas habet circa Crotaphitas*
(Musculos Temporales) & in occipite, à Morbo Venereo est.
Insuper *Faciei decoloratio* & livor. Imò plane Ejusdem
Garcinoma exedens, ac hominem sensim interficiens.

Frontis Tubercula, *Papulæ carnosæ*, *Tophi*, *Pustulæ* : ex quibus, inter alia, signum tertii gradus morbi desumitur. *Pustula* item in *Temporibus* erumpentes. *Superciliorum Lapsus*. *Ophthalmia* quandoque etiam, (in *Plethoricis*) *Sub oculis* circulus *Lividus*, qualem in *Menstruatis* videre est. *Narium Tubercula* aut erosio. *Catarrhus* tenuis & aquosus, per *Os* & *Nares* familiariter affligens. *Oris Amara*, & *siccitas* (in *Biliofis*.) aut etiam *Aphthæ*. *Barbæ* defluxus, ejusdemve *Pustulæ duræ*, cum vel sine *sanie*, aut *crustâ*. *Labiorum Tumores duri*. *Palati exulceratio*, aut *corruptio*, adeò, ut & *cibus* & *potus* sursum per *nasum* transeat. *Glandularum* in *faucibus* *Tumores*. *Tonsillarum* & *Uvula*, vel *columellæ*, *inflammatio* aut *relaxatio*, ut *propendeat* : vel ejusdem *totalis corruptio*.

VI. In *Thorace* vel *Collo* ; *Pustula colli* sub*tumidæ* ac *rubræ* (in *sanguineis*.) *Tumores Thymi*, vel *Glandulæ*, in *regione* *divisiones Arteriarum* & *Venarum subclaviarum* sitæ : à *cujusmodi Tumore* *quadantenus* *vox clangosa*, vel *sonora* fieri solet, cum *crebriore sputatione*. *Gutturis Exulceratio* tandem *lethalis*. Et *Phthisis* *Juvenum*, qui *nimiùm fortè impuriori Veneri* additi sunt ; juxta *effatum Hippocracis* ; Aph. 9. *Tabes* ($\Phi\theta\iota\sigma\iota\varsigma$) *iis maxime aetatibus fit*, *quæ à decimo octavo sunt anno, ad tricesimum quintum*. *Intellige* : non *culpâ ætatis*, ut *talis* ; aliàs enim multò *plures* in *Phthisico* *evaderent* : sed *ob incontinentiam*, *Juvenibus* quàm *Senibus* *familiarior*.

VI. In *Regione Abdominis* maxime *omnium seges* *morborum* *foecunda* *propullulat*, occasione *congressûs præcipuè habitî*, indeque *contracti Miasmatis pravi*, adeò, ut non *præcisè semper* *necessè sit*, *Epar*, *Lienem*, aut *aliud Viscus* *sanguificationi* *inserviens* *accusare*. *Quin potius,*

tius, quò Venereum Spiritale Miasma, istà aut simili oc-
casionè devehitur, ibi effectum etiam suum fat ostendit.
In Inguinibus & pudendis præsertim, unde notanda itidem,
quæ sequuntur. *Inguinum Bubo* in aliquibus; *Abscessus* vè,
aut Apostema in aliis; rubens, calidum, ac non nihil tu-
mens, Febricula complicetur. *Pustula* in *Virgâ & Pudend-*
is reliquis plurimæ. Unde Lues Venerea à quibusdam
Variola grandis dicitur. Et eæ quidem squamosæ, siccæ,
vel purulentæ; imò cancrôsæ, eoque periculosiores, si
ante perfectam curationem evanescant. *Pudendorum Ul-*
cera inflammatoria vel callosa; serpentia; figuræ va-
riæ, & coloris; & foetidum ex iis Pus, admixtâ sanie ci-
trinâ. Aut minimò *Illorundem Excoriationes* aliquæ, in
Lue incipiente. *Tumores Preputii*, ut Glans vel planè
non, vel non sine dolore tegi possit. *Ejusdemvè Callus.*
Pustula Glandis primùm parvæ, miliares, & albæ, sine do-
lore, cum levi pruritu; ipsamque instar coronæ cirgen-
tes. Quæ si rumpantur, *Ulcera* albescentia fiunt, & cre-
scente morbò, profundiora, callosa & dolorosa. *Erosio*
purulenta Glandis, foris ac intus, ut, quò intensior ea sit,
eò certius etiam ac sensim Materia Virulenta, viridescens,
cum dolore, & Ardoris urinæ successu, profluat: quod
communiter *Gonorrhoea* dicitur, Venerea & Saniosa, ad
distinctionem [Gonorrhoeæ benignioris & veræ, in quâ
propriè dictum Semen, vel copiosum, vel acre & cali-
dum, vel aquosum ac tenue, in vitis interdum excernitur.
In Nautâ quodam, ut est apud *Forest.* l. antè d. obs. 17.
Glans, absumto Preputio, vix hæsit, ut aliquam pudendi
partem Chirurgus jamjam vellet abscindere. *Meatus*
Urinari Caruncula aut *Verrucæ*: veletiam *Ulcera*, sanie
turpi manantia. *Testium* inflammatio. *Sphincteris* tam
Vesi-

Vesica, quàm *Ani* Exulceratio. Ipsaque *Vesica*, aut *Intestinum Rectum*, arrosa, adeò ut excrementa invitis egrediantur: Cujus rei Exemplum in Nobili Puellâ quadam, quindecim annorum, quæ Feriis Bacchi vestimenta Viri Juvenis clam-infecti induerat, observavit *Hildanus* Cent. I. Observ. Chirurg. 100. *Pustula Perinei*, *Ani*, & vicinarum partium, (in Lue confirmatâ.) Vel planè *Ani* sordidæ *Ficus* & *Condylomata*, aut *Cristæ*: de quibus *Jonstonus* Med. Pract. [cap. d. Morb. Intest. Recti] videatur. Inque Fœminis seorsim, *Pudendi* ipsarum *Pustula* rebelles, & contagiosæ: *Cristæ* vè prominulæ. *Condylomata* item, vel *Rugarum nodosarum* in *Cervice Uteri*, cum ardore & dolore intumescentiæ. Ejusdemve *Muliebris sinus Exulcerationes*.

VIII. Aut cum indifferentiâ tandem ad Sexum; *Incalescentiæ Artuum* insignes, etiam tempore Hyemis, in *Volis Manuum ac Plantis Pedum*. *Duri Tumores Brachiorum*. Inque cute eorundem, & partibus proximis, *Exanthemata*, *Pustulæ*, *Scabies*. *Crustæ* item, *Calli*, *Rhagades*, vel *Fissuræ*, cum *Cutis crassitie*: ex cujusmodi solis *Manuum Fissuris*, Luem delitescentem in *Scortis* se deprehendisse scribit *Forestus* loco s. cit. dicens, quod imperfecte curatô morbô succedat. *Ungues leprosi* quasi, aut impetigine, in digitorum summis, exasperari. *Ungvium lapsus*; & similia.

IX. Quid mirum itaque, si ex pravis hujusmodi Morbis, tanquam Fontibus, Symptomata etiam varii commatis, quasi Rivi æquè impuri, promanent? Uti e. g. sunt: *Nausea*, vel cibi fastidium. *Anorexia*. *Melancholica*. *Visus* hebetudo. Ipsaque cœcitas; aut *Surditas*; in Lue confirmatâ. Vel minimum *Auditio Tinnula*. *Dolores* verò

verò imprimis sub initium Morbi, vagi, modò in Muscu-
lis, modo in Capite, Collo, Artubus; & circa vesperam
ingravescentes. Hinc verò in aliquibus *Dolores pudendo-
rum* quoque jacutissimi; & magis fixi: unde Lues ipsa ali-
quibus Pudendagra dicitur, monente, quem supra lauda-
vimus. *Sennerto* Med. Pract. lib. 6. part. 4. c. 1. *Dolor Vre-
thrae* maximus, Tempore mictionis, ob carunculam in
Virgâ enatam, vel Ulcus internum, de quo ante dictum
est. *Dolor Suturarum*. *Somnus* ut plurimum interruptus,
aut nullus, ob modo-dictos dolores partium, ab horâ 9.
noctis circiter, usque ad tertiam matutinam, non rarò
affligentes. *Memoria* Læsiò. Imò *Epilepsiam* quoque in-
ter Signa Luis inveteratæ refert *Idem Sennertus* l. d. cap.
6. Deq; *Raucedine* Vocis res vulgò sat est nota, Ac de *Amis-
sâ eadem* vide *Forestum* lib. 32. Obs. 22.

CAP. II.

Seorsim de Venere, in Ossa sæviante.

THE S. I.

VERùm nos nulla adhuc *Ossium pathemata*, quorum má-
gna quoq; habetur varietas, enarravimus. Inter quæ,
quod eorum *Intemperiem* concernit; sicut plurimæ Fœ-
ditates Venereæ Ossium, in aliquo Tumore, Corruptio-
ne, vel Carie consistunt, exorta ex Nutrimento illorum
peculiariter corrupto, & acrimoniam nato causticam,
prout, in genere, Luis Venereæ causa continens, in mor-
daci quodam, Virulento, & putrefaciente Veneno Spiri-
tali, facile multiplicabili, consistit verisimiliter: Ita nihil
frequentius, quàm naturalem partium Crasin vel Tem-
peraturam per illud insigniter viciari.

II. Ad *Tumores* autem & *Continui Solutiones* pertinet e. g. *Exostosis* vel *prominentia Ossium*, ratione *Nodorum*, *Tophorum*, aut *Gummatum*, corrupti læpè sub-
tùs *Ossis* *Periosteo* ac *Musculis implexorum*, cum *dolore*, plus minus; *majorum*, *minorum*; *antiquorum*, *recentium*, in *Lue Venereâ* confirmatâ: quæ, præmissis ac *intercedentibus* *Evacuantibus* congruis, probè *emollienda*, *resolvenda*, à *cariosis Osliculis* (si quæ subsunt) *liberanda*, & vel *planè urenda* (nisi sint in *Articulis*, *Nervis*, *Tendinibus*) *abradenda*, aut *excindenda* sunt, antequam *Corpus* *Unctione Mercuriali* tentetur. Aut, *citra Exostosin*, *Caries* aliàs, & *irreparabilis Putrilago nigrescens Ossium*, (quamvis & *citra Luem Veneris* à *causis communioribus* fieri soleat) tam *simplex*, quam cum *periostei corruptione*, ut *humor acris & pravus* *transsudet*, nec nisi *acribus Medicamentis*, imò *Ferramentis candentibus*, *Scalpris*, *Malleis*, *Cultris* auferatur. *Modum* vide *imprimis* apud *Aquapendentem*, *Operat. Chirurg.* *Cap. 115.* *Forestus* *lib. 32.* *schol. ad obs. 13.* in hoc casu ait, *Euphorbium* *desquamare* *Ossa* *eâdem die*. Et huic *Malo* non *absimile* videtur quod in *Chirurgiâ Barbettianâ* (*part. 3. lib. 1. cap. 3.*) *Cancer Ossis* (*Belgicè een Been-vreeter*) vocatur: *Species Cariei*, quæ hucusque à *nullo Medicò* satis *accuratè* fuit *descripta*, ut *Autor* existimat: quale quid tamen etiam de se *gloriatur* in *Italiâ*, *dexterrimus Petrus de Marchettis*, in *fine Operationum Chirurgicarum*, *Ægritudinem* istam, à *modo* *pungitivi doloris*, *Spinam Ventosam* nominans, *ortam* ab *Humore caustico* *prorsus*, *corrumpente* *primò Os*, *hinc Periosteum perforante*, *usque dum Ulcus Carni & Cuti* etiam *superveniat*. *Malum* vel *ideò dirum* præ *reliquis*
quasi

quasi omnibus, quod Cancro Ossis vel partium Molliorum curato uno, alii alteribi mox prodant se.

III. Utque distinctius in adumbrandâ breviter *Osteopathia Venereâ* pergamus; ecce hæc porro sunt Amoris impurioris gemmularum, aut præmia reliqua; *Caries Cranii*, tam quoad externam, quam utramque ejus Laminam: quas, superstite vitâ aliquandiu, exelas à Lue Venereâ, notat *Riolanus*, Enchir. Anatom. lib. 6. c. 6, p. 431. *Caries Nasi* item, aut Palati. *Dentium Lapsus*, aut corruptio; quæ gradum morbi vehementissimum indicat. *Topi & Caries Clavicularum*, cum Ulceribus malignis ac sordidis, Caustero castigandis. Exemplum vide apud *Hildanum*, Cent. 5. Obs. Chir. 95. *Articulorum Luxatio spuria*, ob vincula eorum à pravorum humorum decubitu relaxata. Vel planè *Exulceratio Articulorum*, & ei superveniens *Hydarschosis*, h. e. Muci articularis, formâ Saniei serosæ, effluxus, ob læsas simul partes nerveas. Quod pathema *Paracelso* (nescio undè;) *Synovia*; à Chirurgis verò in genere, *das Glimde Wasser* / dicitur; & videtur ferè idem esse, quod *Celsus* lib. 5. c. 26. *Meliceram* vocat.

IV. *Ossium Brachii Corruptio*, antequam Ulcus in mollibus pateat (in lue confirmatâ) *Ossive Femoris Mollities & Flexilitas*; quippe jam citatus *Riolanus* lib. d. c. 3. p. 420. similiter *Flexilis Ossis*, quasi Cornu, meminit. Nec non *Caries Tibiarum*.

V. Denique inter *Symptomata*, præter insignem *Lassitudinem Corporis*, quæ ὀστέονοπ (tanquam *Ostearia*) *Galeno* dicitur & *Sensum Gravitatis*; quis utcunque *Veneris de Dolore* aliquo partium non queritur, profundo aut superficiali? acuto gravativo: lancinante, tensivo? fixo, vago? clamoso, tolerabili? diurno, aut præcipuè nocturno?

sturno ? domabili, desperato ? ut ægri sine fulcris non possint incedere; à materiâ acri, circum periostea collectâ ? Aut sigillatim *Dolore Capitis*, initiò vago; inque Capite modò, modò in Musculis, Artubus, &c. mox constante, & (circa Noctem præsertim) periodico; aut Extensivo Pericranii, ut alicui videantur Capilli sibimet quasi erigi. Sequitur *Dolor Clavicularum; Dolor Streni* pressivus, vel etiam acutus; utrinque cum vel sine Ulcere: quod pro Luis itidem signo certissimo habetur. *Sensus. Frigoris in Spinâ, Dolor Scapularum: Lumborum;* (in Lue mox confirmandâ) *Coxendicum; ut Ischiadicus*. Cui si Extenuatio Corporis accedat, *Forestus* lib. 32. ad Obs. 4. Luem exinde putat concludendam. Sed hæc ex parte, nisi abundantur Signa quædam alia, Autor videtur justò rigidior. *Dolor Ossis Pubis* gravissimus, ut æger nec rectè incedere, nec stare possit; quod accidisse cuidam, à diuturniore gestatione Cinguli Venerei contra Scabiem, ut Febris etiam superveniret, & sopor quidam, affertur Anno II. *Ephemerid. Curios. German. Obs. 35. Dolores Articularum & Artuum* (præcipuè in Internodiis, nec non Medietate illorum) nocturni, Vagi primùm, hinc constantiores. *Dolores Humeri; Brachiorum; Tibiarum* in parte anteriore, &c.

VI. De quibus omnibus, hucusque enumeratis, constitutum primò erat, integram Dissertationem placido Eruditorum Examini sistere. Verùm Amplitudo Materiæ juslit nos Retractui canere. Et saltem id unum elegimus, ut, quia *Curatio per Mercurium*, ultimò tandem in Luis Venereæ casibus plerisque difficilioribus requiritur; quænam de eâ teneri, aut circa eandem vitari, vitandi periculi ergò, conveniat, perspicuum reddamus.

CAP.

CAP. III.

*De Medicamentis Mercurialibus Externis,
contra Luem Veneream, in
genere.*

THES. I.

AD Inundiones Mercuriales ergò, *Armillas, Cingula, Sufficiens* &c. quod attinet; quæ ad curandam aut mitigandam Luem Veneris adhiberi solent; nomen suum à celebri illo Minerali, *Mercurio*, acceperunt; qui nitenti Argento, & Aquæ fluenti similis (non madefaciens tamen manus) proximam ac primam post Metallorum Solem (Aurum) in totâ rerum Naturâ Gravitatis sedem obtinet, Metallis reliquis, Lapidibus, Vitro, ipsi supernatantibus; Metallorum, hinc inde corrosor ac helluo, quoad Tactum frigidus, ex viscidâ aut tenaci constans materiâ Metallicâ, par Syncrisin factam Particularum incurvarum aut repandarum, facillimè in se conglobabilium: quarum Textura, resoluta in fumum, aut plusculis modis aliis ad discontinuationem sui acta, mox mox redit in se, inque *Globulos pristinos* mobiles, aut Fluorem Argenteum ita rediens, videtur non injuriâ vel Phœnicis Metallici vel Protei titulum promereri.

II, Quod Minerale quidem, cur Mercurius nominetur, nullius opinionem faciam meam: An nimirum à *Planetico* Globô, qui Soli proximus, ingenia Mathematicorum torfit? aut à celebri magis, quàm clarè, vel eodem modo ab Autoribus descripto Principio Hypostatico, quod cum Sulfure & Sale, Ternarium numerum Princi-

piorum Chimicorum, vulgò didorum, constituere dicitur; vel planè à Prisco *Hermete* Græcis; Latinis *Mercurio* vocato, (Trismegisto etiam, vel Termaximo aliàs, ob magnam sapientiam) cui à Phoenicibus, Græcis, & Romanis divinus honor habitus est & hodierni Paracelsistæ præprimis, Tabulam Smaragdynam, velut indicem Arcani Operis philosophici, adscribunt.


III. Hoc verò certum est, quàm famosum communiter Minerale dictum habetur, propter assignatam sibi, tam Homini, ejusque Nervoso generi, quàm Insectis, Pediculis, Lumbricis, ac Vermium quibuscunque generibus aliis, lethiferam, ac venenosam vim: tam Salutarem contra Idem deprehendi, & specialem quasi Venereæ Luis Antidotum: & nullatenus attentionem mereri, quod *Veslingius* (parænes. 2. ad Rem Herb. p. 76.) Phrasi ex *Plinio* (lib. 33, c. 6) clàm-desumptà, *Vomicam æterni liquoris & rerum omnium Venum*; aut alii ex *Kunrath*. (Confes. d. Chao, pag. 15.) *Hydrargyrum*, quasi *Urg-genung*/appellant: si modò circumspiciè adhibeatur, ut paulò post bibendum veniet: Siquidem Usus rei ob Abusum, & damna inde emergentia, non est tollendus. Germanicè *Queck-Silber*/ quasi *Argentum* valde mobile. *Quicken* enim, ut notat *Vossius* in Etymologico, Belgis idem est, ac motitare. Unde *Molacilla* iisdem *Quick-steert* dicitur, *Avi* vulgò notissima.

IV. Nec non *Cinnabaris*, uti *Mercurialis* naturæ ac Virium est; sic in curatione ejusdem morbi, cum observandis Cautelis iisdem, inferius proponendis in gratiam excitandi Sudoris ac Salivationis, usurpatur. Convenientiæque ratio est hæc: *Mercurius Mineralis* currens emergit dupliciter; vel spontè, in Metallifodinis; vel per Hominum industriam.

V. Spon-

V. *Sponte emergens*, ex eo ipso *Vivus* καὶ ἐξοχὴν dicitur, quia, velut Aquæ vivæ fons, ex fissuris Venarum metallicarum profluit passim in foveas, & in subterraneas excavatas rupes sudat, ut manibus, vel vasculis commodis exhauriri possit.

VI Imò *Ligni Mercurialis*, h.e. in poris suis undique guttulis Mercurialibus per naturam repleti, & extrinsecus proin tanquam Rore Argenteo conspersi, oblongi, & fere paralleli, Frustulum (rarissimi commatis rem) in scriniis suis servat *Disputationis Dn. Praeses*, dono acceptum à *Doctissimo* quodam *Materiariorum Hamburgensi*, & abscissum ex frusto majore quodam, quod in *Gazophilacium Sereniss. Electoris Brandenburgensis*, recens translatum est; Abiegnum, ut videtur: Aquæ tamen intra pelvim injectum, statim fundum petit, cum hac differentiâ:



Si Extremitas A prius immergatur, Lignum simplici motu deorsum fertur. Si vero Extremitatem B. prius immergas; hæc ad superficiem Aquæ potius retrò paulum agitur, ut modò - dicta extremitas A. præcedat. Ex quo colligitur, præterquam quod præsentia Mercurii inhærentis visui statim conspicua est, gravitatem Ligni ab illoutrique, non propriâ Ligni soliditate ulla esse, ut cæteroquin Lignum Ebenum, aliaque Indiæ occidentalis Ligna compactiora ad fundum statim proruunt. Ut de Mercurio Metallorum ac Antimonii, ex quibus is difficulter secer-

nitur; de Mercurio item *Silicis* cujusdam in littore *Kiliensi*,

¶ *vel Auræ ipsius, Terram ambientis, ex mente Dn. Præsidis, alio tempore ab ipso declarandâ, vel Mercurio Craniorum nil addam. quin hæc obiter.*

VII. *Mercurius currens, Hominum industriâ redditus, interim est, qui destillatione descensoriâ communiter fit, ponendo circa ollam, Ignem, ut Mercurius Terrâ vel Glebâ suâ Lapidescente rubrâ, gravi, sulfureâ, in cujus Poris antea pendulus hæserat, depluat. Imò sine Igne facile separatus est Mercurius ille Virgineus, cujus Specimen D. Sachsio ex Hungariâ à D. Joh. Paterson transmissum, solâ Terrâ contusâ, & Aquâ dilutâ, statim confluit, ut legimus in Anno II. Ephemerid. Curios. German. obs. 28. p. 56.*

VIII. *Aque vulgari Minerâ istâ antequam per destillationem separetur, junctim cum ipsâ Cinnabaris vocabulo Indico, ut Plinius putat, aut rectius Græco, κιννάβαρις, dicitur. Intellige Nativam; cum etiam detur Factitia; eaque duplex: Vulgaris, ex sulfure & Mercurio sublimatis orta: & Antimonialis, quæ in purificando sanguine magni æstimata, ingreditur Pulverem Specificum Cephalicum D. Joh. Michaëlis, Chimiatri quondam Lipsiensis Clarissimi: Ad cujus imitationem, nisi sit Pulvis idem, existit similis alius Hamburgi, Autore D. Paul. Marqu. Slegelio. Et utriusque compositio videtur à Cratone, trium Imperatorum Medico, fluxisse: qui verò à Chemicis Medicamentis plus justò interdum sibi metuens, Cinnabari Antimoniali, aut Factitiæ cuivis, Nativam præferre maluit: cum quo, & Senæerto, etiam facit Schönbornerus, (Manual. Med. pag. 7.)*

IX. *Notandum præterea hoc, Cinnabarim Nativam, de quâ cum primis hic loquimur, haberi ab Aliquibus, pro*

Minio

Minio Antiquorum, distincto à *Minio* hodie cognito. Quæ differentiæ ratio etiam est breviter addenda : ne scilicet cuiquam, Mercurialia Pharmaca adhibituro, in expugnanda Lue Venerea, errandi occasio relinquatur.

X. Distinguitur nempe *Minium* itidem, ut *Cinnabaris* modò, in *Nativum* & *Factitium*.

XI. *Minium Nativum* vel propriè tale dicitur, vel impropiè,

XII, *Propriè dictum*, Germanicè *Quecksilber-Erz* est ipsamet modò descripta *Nativa Cinnabaris* : aut *Minium Dioscoridis* (sic scribentis, citante *Aldrovando* Mus. Metall. lib. 4. cap. 20. *Argentum Vivum fit ex Minio, quod abusive Cinnabaris dicitur* :) ac reperitur in Fodinis quibusdam Germaniæ, & alibi. *Vitruvius*, citante *Encelio* lib. 2. de Re Metall. c. 24. *Anthracem* (à Rubedine flammea) appellat, Germanicè *Berg-Zinnober* ; quod resolutum, fit *Argentum Vivum, Terra, ac Sulfur*.

XIII. *Impropiè* *Minii* titulum *Sandaraca* sibi vindicat. Imò nova iterum hic *Æquivocatio* emergit. Nam duplex *Sandaraca* habetur : *Arabum*, hoc est, *Gummi Juniperium* ; *Vernix sicca* aliàs ; quæ oleo *Lini* in liquidam dissolvi solet : & *Sandaraca Græcorum*, vel *Auripigmentum*.

XIV. Et hoc iterum non qualecunque ; quia habetur in officinis triplex : *CrySTALLINUM* vel *Album, Arsenicum κατ' ἐξοχήν* : *Citrinum* vel *Flavum, Auripigmentum κατ' ἐξοχήν*, pictoribus familiare ; Et *Rubrum*, vel *Sandaracha*, coloris respectu dictum etiam *Minium*.

XV. Imò *Minium Nativum Antiquitus* habitum fuisse vel pro sanguine *Draconis* à Terra absorpto , confusoque cum sanguine *Elefantorum morientium* ; vel pro *Succo* aut *lacryma plantæ* cuiuspiam , quæ hodiernum *Sanguis*

guis Draconis, à Colore rubello, dicitur ; ex Scriptis Antiquorum patet.

XVI. *Minium* verò *Factitium* vel pollet parte Mercuriali, vel non. *Istud* ex Argento Vivo & Sulfure conficitur, dictum, ut antea, *Cinnabaris Vulgaris* : *Gemein-Zinnober* : *Hoc* ex Plumbo calcinato conficitur, diciturque Germ. *Menning* / *Sandyx Fuchsio* lib. I. de composit. Med. p. 93. creberrimi usus penes Chirurgos, in Cura Ulcerum.

XVII. Quibus distinctè notatis jam paulò tutius, ac Veteres, poterimus quaecunque, inter Syrtis Æquivocationum, Naufragium vitare ; & Usus antivenericum Hydrargyri, tam extra Mineram, vel nudi, quàm in Minera sua contenti, vel *Cinnabaris Nativæ*, aut *Minii veterum*, declarare.

CAP. IV.

De Usu Externo Mercurii crudi, in Lue Venerea, per Inunctiones ac Suffitus.

THES. I.

ATque sic, ad Usus *Mercurii currentis* in Lue Venusta, primùm quod attinet ; adhibetur ille vel planè crudus, & prout à Materiariis venditur ; vel quatenus ante sui Usus, qualemcunque mutationem, vel præparationem medicam in Pharmacopolio est perpeffus.

II. *Plane crudus* porrò duplici modo usurpatur: vel *Formâ suâ Globulari* aut guttatâ (si ita loqui liceat) ; vel in *Fumum* subtilem resolutus : cujus Atomi tamen, hinc inde sibi invicem factæ obviæ , ratione figuræ suæ incurvæ & na-

& naturæ purissimæ, Ætheri similes, facillimè iterum coeunt, & in priores *Globulos* redeundo, communiter *Reviviscere* dicuntur.

III. Isthac *Formâ Globulari* verò quia nimium lubricus Mercurius & inconstans est, aliquod Viscidum requirit, in quo velut captus, diligenti agitatione per illud in minimas guttulas resolvatur, & sic, ut vulgò loquimur, mortificetur & extinguatur; ut ad Rorem istiusmodi subtilem Argenteum redactus, & externè variis modis applicitus Corpori, eò feliciter per poros ejus se insinuare possit.

IV. Hujusmodi *Corpora Viscida*, quæ ad Exstinctionem Mercurii eliguntur, imprimis aut ad summum, sunt duo hæc: *Saliva Hominis*; & *Res Pingues*. *Godofr. Stegbius* lib. 7. *Med. Pract.* cap. 9. pag. 346. mentionem facit etiam, pro scopo hoc, *Succi Citri*. Alii *Succum Rosarum*, pro *Pilulis Barbarossæ*, adhibent; quarum descriptionem vide apud *Forest.* lib. 32. obs. 19. qui alteribi etiam *Succum Limonum* adhibet. Hic verò de jam-dictis duobus prioribus, tanquam usitatoribus, præcipuè agemus.

V. Ad *Hominis* itaque (præsertim *Jejuni*) *Salivam*, quod attinet; certissimum quidem est, eam tam ratione Viscositatis, quàm inhærentis simul cujuspiam Acidi, ad discontinuationem Mercurii non leve quid conferre. Meritò tamen in Confectione *Emplastri Vigonis* de Ranis cum Mercurio, à *Zwelffero* in *Notis* ad *Augustanam*, rejicitur, utpote res minus munda. Ibi enim, juxta Formulam, ad Mercurii *Uncias* quatuor, una ac altera *libra Salivæ* vix sufficeret; ut *Emplastrificina* talismodi sputanda & insuper habenda potius sit, quàm ampliùs tentanda.

VI. Et præstat illius loco accipere *Pinguia, Axungiam*

putà *Humanam*, aut *Porcinam*, quæ veluti basis est horum Unguinum, vi relaxandi, & emolliendi prædita; assumenda recens, non salita, aut liquata, & à Membranis liberata: Vel *Axungiam*, *Ursi*, *Gallina*, *Anseris*, dolentibus partibus congruam: *Serpentum* item aut *Viperinam*: aut plane *Rotarum* veterem, nisi potiùs hæc *Agyrtis* relinquenda sit. *Butyrum* porrò, quod itidem Dolores lenit, papulas digerit, & *Mercurium* fortiùs retinet: *Olea* variis generis & virtutum; *Terebintbinam*, quæ validè itidem digerit, dolores sedat, & *Fumum eximium* exhibet.

VII. *Proportio Mercurii*, talismodi Pinguibus miscendi, solet esse $\frac{1}{8}$ $\frac{1}{6}$ $\frac{1}{4}$ imò $\frac{1}{3}$ plus minùs, pro ætate, & viribus Ægri, Morbique vehementiâ. Laudatque *Forestus* lib. d. Schol. ad Obs. 13. *Unguentum* quoddam, *Cælestinum* ab *Insulanis* dictum, quod illi creberrimè adhibuerint in omni *Lue Venerea*, ac *Scabie*; constans ex *Mercurii vivi* libra j. & *Pingued. Calceariorum* Libris ij.

VIII. Ac talismodi *Linimentorum* Genere, invento à *Carpo*, *Cutis* Ægri inungitur, vel ita simpliciter, *Forma Unguenti*, *Cinguli*, *Armilla*; vel *Forma cultioris Unguenti* aut *Emplastri*.

IX. *Unguenta* aut *Emplastra Mercurialia* fieri solent tali pacto: Adduntur in *Mortario* *Mercurio* in *Pinguibus* mortificato, variæ aliæ res, quæ vel *Malignitati morbi* resistunt; vel *Ulcera* detergunt, ac mundificant; vel *Virus Mercurii* creditum infringunt; vel peccantem *Materiam* quovis meliore modo corrigunt; vel dolores utcunque leniunt; vel *Nervos* roborant; vel ad *odoris castigationem* faciunt, (nisi sint *Adstringentia*, actionemque præcipuam retardent, sudoremque impediant) vel *Medicamento* justam formam ac consistentiam tribuunt; juxta *Effatum*

tum Doctissimi Scriptoris Itali, *Matth. Amidei* (de Confessione Hyacinth. Giornat. 30. pag. 345.) quanquam ibidem præsertim de Cerotis loquatur: *Cbi s' à ben cerottare, ogni altra cosa s' à ben fare.*

X. Quia verò tam inter Simplicia, quàm Composita, haut pauca ejus commatis sunt, ut unum eorum interdum duabus vel pluribus Indicationibus satisfaciat: itaque brevitatis ergò aliquot tantum eorum nomina profereamus. Et sunt e. gr. *Theriaca*, (quam tamen *Rondeletius*, tanquam ad Suffitus ineptam, alicubi reprobatur.) *Mitbridatium*: *Vitellus Ovi*: *Oleum Amygdalarum dulcium*, *Liliorum Alborum*, *Lumbricorum*, *Juniperi*, *Salviæ*, *Lauri*: *Nux Moschata*, *Lacrymæ Resinosæ*, (quæ odoratam fuliginem multam excitant) e. g. *Benzoe*, *Storax*, *Mastix*, *Myrrha*, *Thus*, (*Ladanum*, cum *Moscho*, *Cinnamomo*, *Forestus* lib. de Schol. ad obs. 17. tanquam Astringentia, exesse vult à Suffitibus: quodammodo Sui oblitus, quod paulò superius, Schol. ad Obs. 12. scripserat, Unguento nos apponere *Lithargyrum*, etiamsi aliquà ex parte sudores supprimat.) *Camphora*. Vel *Ligna Resinosa*, ut *Aloës*; *Ramenta Juniperi*; *Cortex Pini* &c. Aut denique *Pulvis Rorismarini*, *Corticum Citri*, *Salviæ*, *Caryophyllorum*, &c.

XI. Aut, si verendum esset, ne quidam ex memoratis Pulveribus justò duriores, suaque asperitate, consistentiæ teneræ Unguenti, vel Emplastri tantum-obfuturi essent: præstabit, talia in Pinguibus, ad debitam consistentiam antea coquere, & ad Emplastri formam, apta reddere, ut ante dictus *Zwelfferus* in Emplastro de Ranis observandum monet. Imò Unguenta jam pro usu parata quæpiam, e. gr. *Aregon*, *Martiatum* &c. addi vel adhiberi possunt ab eo, cui arrident Decomposita.

XII. *Cingulum Mercuriale, Zonas, Armillas*, Audacia ut plurimum Chirurgorum quorundam & Empiricorum, excogitavit, ut per curationem brevi-absolutam, tam Luis Venereæ, quàm Scabiei & Pediculorum creditam, Sibi-met Decus, Loculo solatium pararent. Quo successu verò id fieri soleat, præter Eperientiam quotidianam, consulatur *Hildanus Cent. 5. Obs. Chir. 93. Annus II. Ephemerid. Curios. Germania, Obs. 25.* & ea, quæ sparsim inferiùs, in recensione Symptomatum & Morborum, Salivationem præcedentium concomitantiumque, Salivatione pejorum, adducentur.

XIII. Istasque *Zonas* aut *Cingula* tali arte conficiunt: Latitudine circiter duorum digitorum transversorum, plus minùs, Telam panni assumunt, cui *Mercurium* crudum, in Axungia porcina, aut quavis alia re, extinctum illinunt, nudoque Corpori applicant; vel Brachiis forma *Armille* aptant.

XIV. Per *Suffitum* vel *Vaporationem* verò *Mercurius* vel *Cinnabaris* eò magis comminuitur, & aptior redditur, per Poros corporis intrare. Imò vix evitari penitus potest, quo minus aliquid per Os ac Nares in ipsos Pulmones transeat. Unde administratio ea tantò periculosior est, raroque & nisi urgente necessitate, velut extremum remedium, permittitur ad suscitandum Sudorem ac Salivationem, quia requirit Vires majores, quàm Unctio.

XV. *Formaque Medicamenti* istius convenientissimè consistit in *Trochiscis*: qui constituto ad sudandum debitâ ratione Ægro, adhibitisque reliquis adhibendis, cap. 6. enumerandis, pondere drachmarum ij. incenduntur, ut in vaporem calidum resolvantur.

XVI. *Proportio Ingredientium* est hæc, ex mente *Stegibis*

ghii (Med. Pr. lib. 7. cap. 9. p. 347.) Parti uni Cinnabaris adduntur duæ partes Gummatum, Resinarum, vel Aromaticum; e. gr. Rec. Cynaprii drachm. vj. Styrac. calam. Benzoin. an. drachm. ij. Nucis Molchat. drachm. j. Caryophil. drachm. ß. cum Terebinth. F. l. a. Trochisci. Vel Tales, quibus *Forestus* (lib. 32. obs. 17.) feliciter usus est: Rec. Cinnabar. Unc. ij. Oliban. Myrrh. Gumm. Benz. an. Unc. j. Galliæ mosch. drachm. iß. Theriac. elect. Unc. ß. Styrac. liquida ad incorporandum, q. s. f. Suffitus. Imo ad fortius cooperandum (in robustioribus) aliquando adduntur Auripigmentum, Sandaracha Græcorum, Pyrites (vel Marchasita) Euphorbium. Formulas vide apud *Eundem ibidem* in fine.

XVII. *Cognata* denique Inunctioni aut Suffitui est *Ablutio*, de qua *Idem Forestus* (lib. 32. Schol. ad Obs. 16.) ex *Augenio* hæc habet: Fiunt Loturæ ex siccantibus, rarefacientibus, discutientibus, & Mercurio sublimato. His in loco calido abluuntur omnes corporis partes, exceptis Capite, Pectore, Stomacho, & sub Alis. Idque diebus 10. semel, bis, &c. Putrescunt sic etiam Gingivæ, & Salivatio succedit. Exemplum *ibi* vide. Post Ablutionem & perfrictionem Sudor in lecto procurandus, appositis juxta pedes lapidibus calentibus.

CAP. V.

De Præparatione quadam Mercurii, in Usum Inunctionis, quid statuendum?

CÆterum Aliqui cautiùs acturi, minus periculi ex Salivatione imminere Ægro existimant, si scil. Mercurium Præparatiunculâ aliquâ, sigillatim *Trajectione*, *Lotione*, *Solutione*ve præsertim, aut *Coctione*, mitiorem redderint.

II. Sed, ut suspendam tantisper iudicium, quo *Disputationis DN. Praeses* cap. ultimo, Mercurium ab omni Reatu Veneni liberare non dubitat, & omnes Læsionum Modos ex unico quodam principio, ex Hydraulicis petito, tanquam ex communi, & cum Occultis Rerum Qualitatibus nil commercii habente, Ægritudinum omnium Fonte, quæ Inunctionibus aut Suffitibus Mercurialibus superveniunt, adscribet; de *Trajectu Mercurii* per Corium, ut mox (Thes. 4.) dicetur, salva quidem res. Neque *Lotionem* ejusdem in Vino aut Aqua Theriacali, vel similibus, aut *Solutionem* in Aqua Forti, ad mentem *Zwelferi*, pro conficiendo Empl. Vigonis instituendam, magnopere improbare animus est.

III. *Coctionem* verò & *Colaturam* quod suadent aliqui, commemorante *Stegbio*, loco antea d. p. 346. ingeminare ausim: *Spectatum admissi, Risum teneatis Amici*. Mercurium volunt Oxopotam reddere! Ita tamen se habet processus: Colant ipsum per Pellem Arietinam, dein coquant cum Aceto, & Herbis Nervinis &c. (e. gr. *Salviæ*, *Rorismari*, *Chamæmel*. *Hyssop*. *Meliss*. *Caryophil*. *Nuce Moschat*.) & iterum per Pellem Arietinam exprimunt: denique miscent in Mortario, ut uniatur.

IV. *Trajectionem* per Pellem Arietinam utique, ut dixi, non vituperamus. Nam usu ita tritum & necessarium in Officinis est, Liquoris hujus metallici superficiem

à Pul-

à Pulverulentis Sordibus purgare, ut remanentibus iis in Pelle, ipse per Poros undique, Jovis Aureo Imbre pulcrius, in Vas Vitreatum suppositum depluat.

V. Sed *Cōctione* istà Mercurio quid decedit? Metallo in minutissimos Rores evanido? liquidissimo? similimo sibi per omnia, ac cœlesti quodammodo Puritate prædito? demum nec Sale, nec Igne ita facilè domabili, quò minùs iterum reducibilis sit. Sive enim sublimes, sive præcipites, sive Aceto, aut Succis acidis aliis, ipsisque Aquis stygiis ac Chrysulcis, solvas ac dissolvas, nedum aliud facilè quid, nisi Fluor Argenteus superest; & perniciosior quidem ita videtur, atque Veneni particeps: sed hoc Acido Corrosivo potiùs deberi, quod immoretur eidem, & aliùs ipsum Corpori nostro in hære faciat, verisimilis (post *Glauberum* Furn. Philos. part. 2. c. 38) est opinio *Dn. D. Joh. Nicol. Pechlini*, vocati, ut fama est, Professoris novi in hanc Academiam, in perdocto Tractatu de Purgantibus, cap. 22. p. 260. Experimentum hoc addentis p. 261. *Splendor ille, (Mercurii) qui in sublimatis Crystallis elucet, à Globulorum Mercurialium refractione dependet, qui etiam Microscopio deprehendi possunt.* Et, siquidem *Schotto* (Physic. curios. lib. 4. p. 251.) credimus, *Mercurius*, Aquâ stygiâ communi, sed optimâ, solutus, veruntamen *per Ampullæ vitreæ poros transfudit.*

VI. Ex quibus conjectu facile est, de Observatione *Hildani* (Cent. 5. Obs. 94.) quid statuendum, qui ope Mercurii præcipitati *Ægræ* cujusciam Abscessum apertum abdominis mundificaturus, talem ac tantam in ea Salivationem expertus est, ut spatio Diei unius aliquot Libras pituitæ illa exspueret: Et Ulcus etiam mundatum, sanatumque fuerit. Ista tamen commotio Humororum nimis ma-

gna, & non sine periculo exstitit : & Salivatio successit casu magis, quàm consilio : Suspicioque haut vana relinquitur, illum externè-adhibitum *Mercurium* receptum in penetralia Corporis, ibique Tincturis Viscerum, per varias digestiones, & Sanguinis Circulationibus subjectum, facili negotio dein in eodem corpore Ægræ, ut Mercurius alteri ex Mamma Cancrosa stillans, de qua vide *Tb Bartholinum* Cent. 1. hist. Anat. 7. revivixisse.

VII. Superest *Comminutio* Mercurii alia, eaque, (sicca via incedens) omnium exactissima, facta successivè in manu Aurifabri, deaurata pocula panno vel linteo extergentis. Cujusmodi Linteamina sicut Scabiei, Tineis & Pediculis Capitis abigendis, congruunt ; Ita Veneris malis non minùs mederi posse, (observatis observandis) facillè cuivis est in aprico.

CAP. VI.

Quibus, Quando, Quoties, & quo Ordine conveniat, Inunctiones aut Suffitus Mercuriales adhibere?

THES. I.

JAmque ordo pòscit quàm maximè, ut *Quibus, Quando, Quoties, & Quo Ordine* Inunctiones, vel alia Mercurialia Externa, administranda sint, distinctim proferatur : Verumque Usum Hydrargyri & Cinnabaris eò clariùs ob oculos ponendo, cuivis periculo, quantum possibile, præcaveamus ; quia, nisi cautè illò utaris, plurimum damni in-

inde exoritur, cum ne peritissimi etiam Medici ac Chirurgi, Ægrum prorsus immunem ab omni incommodo possint reddere ; quin varia Mala Hydrargyrosin ordinariè quasi circumstant, & Salivationi complicantur.

II. Primum itaque : *Quibus* tale quid conveniat, aut non conveniat? Non sine discrimine cuius Sexui, Ætati, ac Statui præstandum esse, puto quod sit sine ulteriori explicatione planum. Et præcipuè illis, qui obstructâ-alvô laborant, vel nimis fluidâ ; multumque emaciatis ; & illis, qui ad Paralyfin, vel Tremores artuum inclinant, minus convenit. Hæmoptoicis item, ac Peripneumoniacis ; quos (Suffitu) perire, non frustra *Fallopius* (d. Morb. Gall. c. 69.) statuit. Extra hos verò ac similes casus *Hildanus* (cent. 5. obs. 98.) dubitat non Gravidas etiam & Infantes Inunctioni submittere ; & *Botallus* d. Lue Ven. cap. 20.

III. De *Tempore* dein si quæras : An Morbi initio Inungere aut Suffire conveniat? Non. Vel ingravescente malo? Non. Vel in Statu, quo tempore morbi omnia vehementissima sunt, & penè desperata ; nec usu Ligni Guajaci vel Sancti, Sassafras ; Radicis Chinæ, Sarsaparillæ, aut similibus, aliquid laude dignum potuerit effici ? Tum demum ad Mercuriales Suffitus, &c. tanquam Extremum Remedium, quo plurimos sanatos fuisse, constat Experimentiâ, deveniendum ; ni Vires nimium sint prostratæ. Suffitus enim imprimis requirunt Vires validas. *In aliis occasionibus* (inquit *Fallopius* l. d.) *Fugite hæc, ut Diabolus Crucem.*

IV. Jam ubi eò deventum est, *manè* illud fieri, saluberimum ; vel à *Meridie*, horis 2. aut 3. ante cœnam. *Post Cœnam* inungendum putavit *Nicolaus Massa*, apud *Forestum*, lib. 32. Schol. ad obs. 14. quod in Suffitibus locum habere nequit.

V. *Quoties? & Quamdiu?* Communiter ab auda-
culis *Inunctio* ultra Sextum, Nonum, Duodecimum, imò
Decimum quintum diem extenditur; quem tandem Empi-
rici non transcendunt. Faciuntque Ægrotum in suo Su-
datorio unam, duas, vel tres horas morari, donec Saliva
effluat. Sed intervalla biduana aut triduana ægrotis con-
ceduntur meritò (præsertim debilioribus) ut interim Diæ-
ta siccante, attenuante, aut quavis sibi congruâ, &c. utan-
tur. Semel, bis, aut ter Materia Suffitûs injicitur. Ad
integras tamen 2. aut 3. horas ægrum cum Vaporibus lucta-
ri, minùs consultum est. Quin potiùs à tempore brevis-
simo indies incipiendum, & in simili terminandum, pau-
lo inferius, th. 15. dicetur. Ratione Intervalli jam-dicti,
totus Hydrargyroseos ambitus, in tres (ternorum semper
Dierum) Inunctiones, dirimitur.

VI. Interim quæ circa Hydrargyrum specialiter ma-
gis considerata sint, ad tria hæc capita reducuntur : vi-
delicet (1) Antecedentium, (2) Eorum, quæ in ipsa admi-
nistratione Inunctionis aut Suffimenti eveniant ; & (3)
Quæ Bona vel Mala communiter sequantur?

VII. Ante *Suffimigium* hæc e. g. veniunt consideran-
da. Bonam diætam & moderationem victus rationem
semper & ubique, in principio, medio, & fine totius cura-
tionis, ordinare convenit. Hinc præparandi Humores
peccantes Medicamentis convenientibus, ut Evacuationi
aptiores fiant. Evacuatio verò fit partim per Iteratas
blandas purgationes, quibus phlebotomia aliquando, cæ-
teris paribus, potest succedere ; partim & aliquot die-
bus usu eorum, quæ Perspirationem Corporis promovent,
& Viscera simul roborant ; uti celebratur Decoctum Gua-
jaci, &c.

VIII. Qui-

VIII. Quibus aliquandiu præmissis de dum Articuli statim aut aliæ partes inungendæ; sed *Tophorum*, si qui adsunt, emollitio, digestio, per Sacculos ac Fetus convenientes, paratos e. g. ex *Radic. Alth. Malv. Herb. Scrophular. Malv. Violar. Flor. Chamæmel. Melilot. Semin. Lini, Fœnigræc. Melilot. Ol. Lumbric. Lilior. alb. Amygdalar. dulc. Pinguedin. Human. Unguent. de Alth. Emplastr. d. Ranis*, solo, vel cum Gummi Elemi & Tacamahaca, in oleo amygd. dulcium solutis, misto, &c. aut illorundem etiam Resolutio, ad quam Oleum aut spiritus Tartari præcipuè commendatur; vel, si adsint *Apostemata*, ac *Ulcerasordida*, hæc probè mundificanda sunt. Ac imprimis, si aliqua suspicio sit *Offis cariost*; illud non ita relinquendum, sed eximendum priùs est. Aliàs enim fermentativum aut corrosivum Luis Seminum, quantillum etiam id sit, in Carie, aut Ulcere relictum, aliisque Corpusculis involutum, nisi statim emergat, indomabiles pene agit Cuniculos, & post aliquod Tempus in Morbum eundem iterum vel pejus maturescit.

IX. Declinatis jam his ac similibus, quæ Inunctioni vel Suffitui moram injicere poterant, *Inunctio* quidem non ampliorem apparatus tantopere flagitat, quin Æger tantum, Articulos, Pedes, Genua, Carpos, Humeros, Spinam &c. bene frictus & unctus, in Lectum se conferens, Vinum Sambucinum, Aquam aut Spiritum Theriacalem, vel Essentiam aliquam C. C. aut simile sudoriferum aliquod ore capiat, beneque coopertus, ut ita sudet, per b: horium aliquot noctium, salivationem successu Temporis expectet. Vulgò Tarsum pedum primò inungunt, hinc internodium Tibiæ: dein Femora media; medias Ulnas, media Brachia: & denique totum Dorsum, benè id fricando.

Imponunt Stuppam, Lintea, aut aliud quid.

X. Vel Lecti pertusus, committi etiam potest Vaporario, ut Mercurio foris allito, per poros lubeunte, intra conclave satis munitum, Sudor per eosdem egrediatur. Sed tale Vaporarium ex Cinnabari fieri non æquè opus est; quin commodè saltem decocto rerum communiorum, vel Spiritu Vini C. C. Aquis Theriacalibus, Resinis ac rebus aliis odoriferis, facilè peragitur. Vocaturque *Suffimigium Benignum Fallopio* d. Morb. Gall. cap. 74.

XI. Ipsam palmarem verò, & graviolem, *suffitus Cinnabarini*, de quo hic maximè sermo est, *administrationem* in Unctis vel non-Unctis exigendam feliciter, quæ porro *precedere* deceat; cum hac differentia notandum: Sive (pauperior) in *Cubiculo* quis sit vaporandus, sive intra *Habitaculum arctius*; eidem ad suffulciendas vires, unum vel duo ova sorbilia in haustulo Vini Malvatici vel generosi alterius rectè dantur. Totoque Curationis Tempore *Aer* haut facilè mutandus est, ne Perspiratio turbetur.

XII. Per *Habitaculum verò arctius*, intelligo *Balneum Vaporis, Laconicum*, (quod Lacones eo, ad cruditates consumendas, crebriùs uterentur) dictum; olim prima Balneorum cella, in qua *siccò Calore* sudorem Romani provocabant: quod *Celso* lib. 3. cap. 27. membr. 3. *Sudatio assa* dicitur, Nervorum Tremoribus inimica; *Vitruvio* Caldarium; de quibus fusiùs agit *Mercurialis*, Art. gymnast. lib. 1. cap. 10. & apud *Heurnium* (Method. ad prax. lib. 1. p. 32) juxta diversitatem Vaporis, in Siccum & Humidum distinguitur. Hodie verò, ratione structuræ, dirimitur in *Cupdam & Arcam*.

XIII. *Cupa*, vel *Cuppa* (Vas Vinarium propriè) ab *Heurnio* (l. d.) *forma sessili* aut *Tonna Ovalis*, perpendiculariter

riter cavæ, fundi duplicis, depingitur: & ita superioribus Annis adhibita est: Sed quia Vaporem, præsertim humidum, non nisi per ambages quasdam fistulæ, licet immittere; *formâ erectâ* hodie à Chirurgis usitatâ, antrorsum apertili, paulò convenientior est, quia per foramina asseris, cui insistet aut insideat æger, Vapor directè magis adigi potest, & subtus, per laterale quoddam Foramen aliud, ingeri Materia concremanda.

XIV. *Arcula* verò quadrata & erecta, peculiariter ad opus id ex asseribus exstructa à Scriniario (*Schwitz-Kasten*) omnium denique optima est, cujus iconem æri incisam vide sis apud *Glauberum*, Furn. Phil. part. 3. c. 34.

XV. Quicquid sit: Utrobique *Æger nudus* in Sudatorium talismodi, asseribus, operculis, aut linteis mox bene claudendum, locatur, ut sedeat ibi, ac sudet. Pedibus verò subest Tabula Ligneâ perforata, per quam Vapor assurgere, totumque corpus ambire possit, *sensim primò*, nec multum ultra quadrantem horæ aut semihorulam; hinc longiùs crebriusque, quoad magis magisque indies adsuescat: hinc gradatim, sub finem Curationis, ad horulam iterum redeat. Veruntamen *Os ac Nares* sunt bene muniendæ, ne Vapor illas subeat. Quapropter *Caput* quidem potest extra Cistam, vel Laconicum quodvis aliud, evehî; sed oportet Collum & humeros, ope Linteaminum, probè munire.

XVI. Hinc *Administratio ipsa* sequitur: Testa cum Sicilibus aut Lateribus Ignitis, Vivisve Carbonibus; vel Craticula cum Lamina crassa Ferri candentis, supponitur, eique res vaporabiles immittuntur, *formâ Trochiscorum*, ut superiùs dictum est, vel Pilularum majorum, aut crassiusculi Pulveris.

XVII. *Promovendi Sudoris* ergò convenientia intrò sumi possunt Pharmaca. *Deliquium animi* si incidat, ventilandus est vapor Balnei, referando moderatè rimam vel aperturam Balnei unam aut alteram ; *Ægerque* Pane, qui *Vino Malvatico* intinctus sit, vel *Sorbili Vinoso*, vel *Rotulis Manus Christi Perlatis*, &c. paulùm reficiatur.

XVIII. *Ac ne Mora Mercurio concedatur in Corpore*, justò diuturnior, quin *Ptyalismus* vel *Salivatio* promoveatur ; *Patiens* partim *Nummum Aureum* in Os (vel *Globulum similem* insuper in *Nares*) recipiat , ut erumpens ex ductibus *Salivalibus Mercurius*, vi sympathias, argenteus reddatur : partim *Pulverem Cordialem*, *Auri Foliati mixturâ* ditatum absorbeat, ut etiam in *Intestinis* se idem *Minerale Auro* associet, inque *Amalgama* cum ipso redactum, gravitate suâ *Intestinales fibras*, ad *Sui evacuationem* concitet. Idque eò magis, si *Salivatio* fortè non procedat ; at *Alvus* moveatur. Quod denotat, *Mercurium* ad *Pancreas* magis, quàm *Glandulas Palatinas* aut *Maxillares* conversum esse. Sique *Tubercula* simul & *Dolores* remittant (præsupposito, quod *sudor* sufficiens durante *Hydrargyro* si successerit) id tantò meliùs censetur.

XIX. Cumque jam imminet *Tempus Salivationis*, *Gingivæ* (imò *Lingua*) incipiunt *Tumefieri*; eadem dein, ac *Fauces* exulcerari ; & ita *Saliva* demùm profuere ex *Tonsillis*, & proximis *glandulis*, ac *salivalibus earum Ductibus*, notabili copiâ ; imò tanta interdum, ut *Ægri* vix tantum possint *exspuere* ; & *Vir* quidam post *Inunctiones* non rarò ad *libras ij* vel *iiij* singulis diebus, usque ad *decimum octavum* *exspuerit*, *Hildano* referente, *Cent. 5. obs. Chirurg. 96.*

XX. *Ratio, cur Mercurius magis ad Salivales, quàm aliàs*

liàs

lias Glandulas feratur, & ut ait *Fallopianus* d. *Morb. Gall. c. 76.* p. 43. a. *veluti Avis volet ad Palatum*; videtur non tam Acido cuiuspiam fermentali soli, cui Mercurius se implicet, (id enim in quibusvis Visceribus aliis possit fieri) adscribendum esse, quàm Viscosus præterea ejusdem salivalis humoris partibus, quæ Mercurium tantò longiùs detinent, & suppetente continuò Seri Copiâ, Salivam uberiorem præbent, nec priùs desinunt, quin ipsa fermenti istius anomali major pars, expellatur funditus cum contagio Mercuriali, ipseque Auro foris appposito, amicè provocetur.

XXI. *Quibus peractis* Patiens in lectam calidum linteò inferiori involutus, quod Succino, Lavendulâ, Styriace, baccis Juniperi, & similibus, fumigetur, imponitur: per duas circiter horas sudat; & postea, Sudore perfectò, ac bene-absterfo, Faucibusque Lacte tepido, vel Decocto aut Aqua Plantaginis, Prunellæ, Rosarum, &c. (mitigandæ inflammationis & exulcerationis ergò) addendo Rob Diamoron, Mel Rosatum &c. Cibo e. g. Contuso ex Carnibus delicatis, Jusculis restaurantibus, Potuque reficiendus est, vel Vini generosi, tenuis; aut Sassafrati, Enulati, Melissati, Borruginati, Citrati, &c. vel loco ejus Mulsæ, Decocti C. C. Eboris, &c. Finisque sic imponitur Suffimentis.

XXII. Et cavendum, ne pristina sua, meritò suspecta, *Vestimenta*, Æger iterum induat, nisi Sapone priùs Lixivione bene lota & purgata. Et hucusque de *Suffitibus extra Lectum*.

XXIII. Pro *Debilibus* verò *Vaporaciones* potiùs fiunt *intra Lectum*, deducendo Vaporem ex sede Carbonum per Fistulam ferream aut cupream intra Stragula, pedibusque commodè lateres calidos supponendo; præunte

nobis sæpe-laudato *Foresto*, lib. 32. Schol. ad Obs. 17. Quod si ne sic quidem etiam *Ægri* Fumum facile perferant; exferant, licet, Caput leniter foras, sed Collum ipsorum optimè Linteis obvolvatur.

CAP. VII.

De Abusu & Noxa dictorum Medicamentorum Mercurialium.

THES. I.

Quoniam verò, ut Cap. 6. th. 1. dictum est, ne peritissimi quidem Medici evitare omnimodè possunt omnes circa Salivationis negocium *Ægri* tudines, (quid dicam de Accidentibus illis, quæ sive culpâ *ægroti*, sive adstantium, & circumstantiarum quarundam exterius, se implicant, ut Saluberrima quamvis intentio veruntamen citra votum haud æquè cadat?) ideoque non incommodum mihi videtur, postquam verum Usus Externus Medicamentorum Mercurialium descripsi, ut Morbos quoque ac Symptomata, Unctis vel Vaporatis supervenientia pleraque in medium adducam.

II. Suntque eadem, ut Mala ipsius *Luis Venustæ*, multiplicia itidem; imò quandoque ipsa *Mors*, Curationi susceptæ funestum terminum interponens. Cujus rei exemplum enorme, post intempestivè factam, Illustrissimo cuidam *Hypochondriaco*, Inunctionem *Mercurii*, prolixè recensitum vide *Anno I. Ephemer. Curios. Germ. obs. 80.*

III. Ad summum verò, *Ægri* tudines, quæ Inunctioni, Suffitui, & Salivationi Mercuriali implicantur, ad hæc duo Capita reducuntur, ut aliæ videl. earum Salivatoribus istis

istis frequentes & ordinariæ quasi sint, e. gr. Palati inflammatio & exulceratio, tumor ac Dolor Linguae, deglutitio læsa, Vacillatio & sordities dentium : aliæ rariùs supervenientes. At nos hoc loco utrarumque Essentiales differentias hic maximè sequemur.

IV. Primùm itaque ad *Morbos* tam *Solidarum*, quàm *Fluidarum* partium, pertinent e. g. hi : *Intemperies* aucta, passim : *Inflammatio* alicubi, tam ab assumpto foris Mercurio, quàm intùs (præcipitato, aut sublimato) planeque *Gangrana* : quippe hujus initium, ab Unguento Mercuriali in Arthritide, *Hildanus* (cent. 4. obs. Chirurg. 82.) notavit : vel minimò *Fætor*, aut *Decoloratio Corporis* in Plumbeum, Livorem, si Sudores non satis eruperint, aut deterfi sint : *Marasmus* : aut *Excoriationes* passim in Faucibus, Collo, Auribus, Inguine ; quales intempestivam Pueri cujusdam Inunctionem sequutas, recenset *Idem* Cent. 5. obs. Chir. 92.

V. Ac specialiter magis ; *Tumor Capitis nimius*, in puero itidem exortus, post inunctionem Mercurii, sine causa factam à quodam audaci Empirico, referente Eodem. l. d. Vel *Laxitas Cranii nimia* ; prout ex Suturis Cranii Nobilis cujusdam post mortem exsudasse Mercurium, idque annotatum esse in Anglia à quodam *Anonymo* in MS. refert *Disputationis DN. Præses*. Aliaque ejus rei exempla citata vide in *Ann. I. Ephem. Curios. Germ. Schol.* ad Obs. 81. *Facies intorta. Inflatio, & Inflammatio Faucium; Fætor Oris: Exulceratio*, aut *Excoriatio* ejusdem : *Exulceratio Gingivarum* : *Dentium Sordities, Vacillatio, Corruptio, aut Lapsus. Linguae Tumor*, quandoque planè enormis, cum periculo *Gangrænæ*, aut *Suffocationis. Colli Scrophule ac Nodi*. Neque aliundè *Strumas Carinthiorum*, inque *Styriâ*, ac circa *Alpes*, quàm ab Aquis Mercurialibus præcipuè, rectè deducit

Jonstonus, in *Idea Med. Pr.* aliique. *Colli distortio* (ab Unguento Mercuriali) apud *Tb. Bartholinum*, cent. 4. *Hist. Anat.* 48. quæ est de Muliere quadam Hiberna. *Phtbisis*, si Mercurius ad Pulmones feratur; vel *Hydrops*, si ad Hepar; ex communi Sententia. *Renum*, ac inde Urinæ *Obstructio*, si ad Renes: *Ulceræ Pudendorum*. *Gummata Tibiarum*, de quibus hæc refert *Fallopianus*, de *Morb. Gall.* cap. 76. Ego reperi Homines inunctos per Triennium antè, & venientibus gummatis in Tiblis detecto osse vidi collectum ibi argentum vivum. *Artuum contractura*: & *Nervorum retractio* (ex Fumo Cinnabaris) exemplo cujusdam viri egregii, in oris Septentrionalibus, qui alicubi sibi factum esse, *Dn. Presidi* noviter questus est; vel *Rimæ Exulceratæ Manuum ac Pedum*, cum Pruritu.

VI. *Catarrhi* porrò à Capite (ut vulgò dicuntur,) delabentes; qualis fuit ille, delapsus in Sinistrum Corporis latus, accedente dolore, & impotentiâ totius lateris, à Cingulo Venereo, contra Scabiem Lumbis applicato, cujus mentionem facit *Hildanus* Cent. 5. *Obs. Chir.* 93. *Defluxio ad Oculos* adeò acris & copiosa, in eodem Puero, qui Lue non infectus, tamen imperitè inunctus fuerat, ut Visum sinistri oculis amiserit; imò oculus uterque protuberaret, ut ille nil posset discernere, autore eodem, Cent. 5. *obs.* 92.

VII. Ac *Symptomata* denique hæc sunt notatu digna: *Virium magna plerumque prostratio*, aut *Oppressio*: *Suffocationis* periculum. *Syncope*, cum *Sudoribus* frigidis. *Sensuum Lesiones* à Fumo, si Æger in Vaporario circa Collum Aures, ac Faciem non benè coopertus sit. In specie, *Visus læsio*, (ab eodem.) Aut planè *Amaurosis*, vel *Cæcitas* ab *Obstructione Nervorum Opticorum*, nullo Oculi vitio extrin-

trinfecus apparente. Exemplum ejus post ineptam Inun-
 ctionem Mercurialem, Matronæ cuidam factam, narrat
Hildanus l. d. *Auditus lesio*; ita enim *Hildanus* ibidem: *Pu-*
ero, inquit, *intempestivè unctō*, qui non fuerat infectus, ex
Aure sinistra continuo, materia copiosè exstillavit, nunc icho-
 rosa, nunc purulenta; non-nunquam etiam cruenta, cum *Au-*
ditus depravatione. Dolores summi; (ab Unguento simi-
 li, adhibito in Arthritide,) monente *Eodem*, Cent. 4. Obs.
 82. *Dolor aut Gravedo Capitis*: *Punctura Cordis*; aut *Pal-*
pitatio, Aurifabris familiaris. *Dolor Scapularum*. *Nausea*
 item, (à Cingulo Mercuriali) adhibito contra scabiem, de
 quo jam ante. *Dolor Lienis*. *Stupor*: *Articulorum debilitas*
 (à Fumo Mercurii) horumve *Dolor*: *Spasmus*. *Convulsio*:
Tremor Membrorum; aut *Paralysis* (ab eodem): mansisse-
 que alicui post Inunctionem *Rigidum Crus*, *Forestus*, lib. 32.
 obs. 15. notat. *Apoplexia* aut *Epilepsia*, juxta *Heurnium* d. Aff.
 capit. c. 23. Vel sæpe *Aphonia*, post Inunctionem aut *Suf-*
fumigium, Culpâ Linguae ac Faucium tumescentium: *De-*
glutioque læsa: &c.

VIII. Ex quibus ac similibus (verba sunt *Celeberrimi*
Dn. D. Th. Bartholini Cent. 4. Hist. Anat. 48.) *Æstiment*
Mercurii noxas, qui cum Mercurio volant: *Et, si Nervis suis*
velint consultum, in eo *Nervos artis intendant*, ne fallaci
Mercurio nimium tribuant. Pauci quippe evadunt, qui ex
 Cura Mercuriali non aliquid Mali contrahant; nisi valdè
 robusti, adhibitoque perito Medico: cujus Peritia si un-
 quam, in his casibus imprimis, Principatum obtinet. In-
 eptus Artifex cæco Militi similis, ut habet *Botallus* de *Lue*
Ven. cap. 7.

CAP. VIII.

De adductarum Ægritudinum Medelis : cum nova quadam Hypothesi Dn. Præsidis.

THES. I.

Denique operæ precium foret, enumeratis Malis convenientia quoque conferre Remedia. Quoniam verò (1) Plerorumque casuum Historiæ speciales, cum omnibus circumstantiis suis, Subjecto, & Causis Morbi, Temperie, item, Ætate ac Statu Ægri, priùs enumerandæ essent, cum Prognosi, & applicatione Legum Methodi: (2) Hoc verò nimis prolixum futurum sit. (3) Ex Lege contrariorum, ductu Capitis IV. & VI. præsidia medendi aliqua, per consequentiam non difficilè hauriri possunt: (4) Et Modum curandi tandem ex Libris præsertim Celeberrimorum Virorum, qui de Lue Venerea ex professo scripserunt, satis superque colligere est: ideoque non necessarium ducimus, prolixa doctrinæ capita hanc in rem afferre: quin pauciora tantum hæc ac breviter, de *Scopis Medendi præcipuis*, qui sicut in Lue Venerea pene omni, ita imprimis in modo-dictis Ægritudinibus, occasione Mercurii subortis dantur, sufficiant; præsupposito, quod Virium servandatum ante omnia ubivis ratio habenda sit.

II. (1) *Primus Medendi Scopus* præcipuus dicitur, *Causa Continentis*, quæ curationem aliàs impedit, *Sublatio*.

III. Hæc *Causa Contingens* verò, in tanta Malorum Illiade, non est in omnibus omnium Individuorum partibus, ejusdem semper generis, aut una. Quin triplex po-

tius;

tiùs : vel *Humor* ; vel *Virus subtile* ; vel *Mercurii pars*,
post Salivationem in Corpore superstes.

IV. *Humor peccans*, præterquam quod peculiarem
& destructivam Acredinem suam, convenientibus digesti-
vis, attenuantibus, fundentibus, antiscorbuticis, & acutas
salium cuspides invertentibus, Acorem Chyli item circa
primas Corporis Vias temperantibus, aut Correctivis aliis,
emendationem sui indicat ; non ultimò etiam, quatenus
motu, loco, aut quantitate simul peccat in aliquibus mem-
bris, Imminutionem, Aversionem, Evacuationesque sui
exigit tam Universales, quàm Particulares.

V. *Universalis Evacuatio Purgatione* partim, partim
Sanguinis Missione, exigitur. Ex quibus, de *Purgatione*
quidem possit moveri scrupulus. *Botallus* verò de *Lue Ven.*
c. 2. §. 24. seq. eam valdè urget, ut Humores ad similem pu-
trilaginem dispositi maturè eliminentur, nec malum fove-
atur ; dicitque expressè, Curationem sine Purgatione rarò
benè cedere. Intellige moderatam, lenem, ac facilem,
quæ Canonistis Minorativa dicitur. Dumque *Venesectione*
prætereà cautè etiam utendum (in ipsismet Plethoricis)
est ; interdum tamen summoperè necessaria est ; in casu
videlicet eo, ubi Lingua in Salivando enormiter intumue-
rit. Illiusque culpâ *Fallopius* d. *Morb. Gall.* c. 76. Suffo-
cari vidit Homines. Ipse verò præmissis Cucurbitulis,
Venam secace fecit ; & benè successit.

VI. *Evacuatio Particularis*, Salivæ tardiùs egressæ
Promotionem, per Salivales gargarismos, (quadantenus
fortè & Errhina) instituendam comprehendit. Imprimis
verò Curationem Magneticam per Aurum ; de qua tum
supra aliquid (thes. 18. Cap. VI.) dictum est, tum mox mox
dicetur.

VII. Interim per *Virus subtile* thes. 3. inodò intelligebatur Miasma Venereum, Spiritale, pravum ut supra (Cap. 1. th. 7.) nominavimus; per quod videl. Lues imperceptibiliter non partium solùm, Vestium, aut linteaminum contactu, sed vel solâ Calicis superficie, ex quo infectus aliquis bibit, communicatur alteri, lateque clam serpit, & *Sudoriferis* imprimis est expellendum, tum per interna, Theriacali Virtute prædita, Nervisque amica; tum externa: quibus præsertim suffitus subtiles balsamici, ac *Therma* continentur.

II. *Therma* inquam. Licet enim suspectæ hæ possint videri aliquibus: ob insignem tamen ipsarum, poros aperiendi, ac resolvendi vim, rectissimè probantur, suffragante *Claudino*, qui (Append. ad libr. d. Ingr. ad Inf. sc. 1.) testatur, *Pene Sacros Effectus* producere.

IX. *Particula* demum *Mercurii*, post Inunctionem, Suffitumve, in Corpore ægri *superstites*, omni studio sunt abigendæ: quod fit tripliciter; vel *Expellendo*; vel *Diver-tendo*, (& postea per alvum tollendo) vel magneticè *Pro-vocando*. *Expulsio* fit per Diaphoretica aut Sudorifera, in thes. 7. modò expressa; à quibus neque etiam (pro circumstantiis certis) *Diuretica* excludimus. *Diversio* fit ope Medicaminum ex Sole & Luna, tanquam Metallis, *Mercurio* imprimis familiaribus, suffragante (in tali casu) *Glauberi* part. 2. Furn. Philos. c. 28. fin. Quin hoc ipsum jam pridem *Fallopium* (de Morb. Gall. c. 77.) tanquam *Secretum Mirabile* laudavit, ut nempe Ramenta Auri vel bibantur, vel in Pilulis sumantur. *Provocatur* suffitu Deco& Granorum Juniperi, juxta experimentum multiplex Medici cujusdam, in Observationibus *Reusneri*, à *Velschio* editis, (observ. 174.) & detentione *Nummi* vel *Annuli Aurei* in Ore, vel

Globuli similis in Nare. Qui quam primum affatim dealbati, & quasi argentei facti sunt, rectè suadet *Fallopianus*, ut prunis injiciantur (quo Mercurius rursus deflagret) pristinoque nitore fulvo redditi, iteratò assumantur, (usquedum nulla ampliùs dealbatio succedat.)

X. Istaque omnia ideò, quod *Mercurius in Corpore detentus* nonnisi plura semper, gravioraque mala inferat.

XI. *Quo pacto verò noceat Corpori*; an Frigiditatis excessu, Sanguinemque coagulando? vel liquando Humores crassos? vel corrodendo? vel Occultiore qualicumque aut Secreta Vi? (ignorantiæ Asylò) cum tamen magnâ sæpe quantitate crudus, ac currens impunè intrò sumatur: vel per modum Fermenti peculiaris? vel potiùs *per Modum* multiplicatissimæ cujusdam variorum vasorum Meatumque *Obstructionis* (uti in Hydraulicis, datâ Obstructione Castellæ, Piscinæ, ut Aquæductuum, alicubi quoque versum exundant Undæ, quæ patet transitus,) quatenus nempe Humores grossi, subtiles, imò ipsi Spiritus Nervei, quorsumcunque possunt, regurgitent, & pro dispositione partis, quantitate, & qualitate colluviei, brevioris ejusdem aut longioris in partibus moræ, & inde contractâ acescentiâ, (ad corrosivam usque diathesin) Mala adeò intricata, multa, foedaque pariant, ut Lues Veneris videatur pessima Fax ex Pandoræ thecâ; citra ullam tamen Venenosæ naturæ inhærentiam; & solo potiùs figuræ atomorum globularis, sensim in partibus auctæ, citoque in se revolutæ, Sitûs, ac Morûs vitio; quæ novissima, atque ad detrahendam Mercurio, omnem prorsus Veneni suspicionem, curiosè à *Dn. Praside* ventilata, mihi que benevolè concessa, *Ejusdem Hypothesis* est; eaque vel ideò valde verisimilis,

F

quod

quod vel pleræque, vel omnes *Mercurigena Ægri tudines*, ex sola ea, tanquam cognoscendi Principio Universaliore, facillimè declarari possunt : In Istorum recensione etiam, aut evolutione (imprimis quod laudatus *DN. Præses* peculiari Scripto forsan mentem suam hac de re prolixius aperiet) tanquam in re sublimioris indaginis, pluribus jam quidem non audeo occupari. Quin hæc de *Primo Medendi Scopo* hucusque dicta sufficiant.

XII. (2) *Secundus Scopus* præcipuus dein consistet in *Morborum*, in partibus relictorum, *Curatione*; temperando intemperata, obstructa aperiendo, detergendo sordida, tumida emolliendo, digerendo, resolvendo, suppurando, Corrosivis aut Igne absumendo; erosaque, quàm fieri possit, restituendo; aut semimortua ad Vitæ usuram commodiorem reducendo.

XIII. In specie verò *Faucium cum Lingua, Gingivis, ac Dentibus* ratio æquè habenda est. Dictumque superius, non sine causâ, aliquid fuit de *Elotione Oris* per Lac ac Gargarismos, mitigandæ Inflammationi istarum partium dicatos. Contra *Erosiones* verò, putredinemque *Gingivarum*, præeunte *Foresto*, lib. 32. Schol. ad Obs. 22. ita circiter procede: Collue *Gingivas* primùm decocto *Tormentillæ* vel *Ligni Indici*. Post absterge hæc *Mixturâ*: Rec. Mell. Rosar. Unc. i ß, Ebor. usti, Ros. alb. Off. *Sepiæ*, *Myrrhæ*, Aloes, an. scrupul. j. Desicca tandem cum communibus *Dentifriciis*, &c. ac *Dentium* sordibus ac *Vaeillationi* subveniri poterit tali pacto, ut nitidi rursus ac firmi reddantur. *Faucibus* probè mundificatis, cum *Decocto* fol. *Plantagin.* Rosar. *Salviæ*, &c. in *Vino austero*; *Dentifricia*, ut par est, adhibeantur, quâ liquidâ, quâ siccâ, *Aluminis* particulam

utrinque recipientia. Et ex liquidis Tinctura Laccæ *Mynsichti*, ad Scopum præsentem paulùm mutata, futura est una è præcipuis.

XIV. (3) *Tertius Medendi Scopus præcipuus* in Tutela virium uleriore; & (4) *Quartus in Mitigatione Symptomatum* consistet, incipiendo ab iis, quæ magis urgent, & respiciendo cautè ad quidvis, quodcunque indicationem aliquam utilem juvet ac roboret; vel contra indicando eidem obsit: de quibus Medicus sagax, cum Chirurgo, pro re natâ, maximè viderint. Hic tandem de *Hermete Metallico* jam sit actum satis: Hic sit noster

Finis,

ET STATUA PLUSQVAM
MERCURIALIS:
GLORIA. SOLI. DEO.

Heu Tibi, quæ tandem Tibi nubet, Amice, Puella,
Obscœnam dicis qui Venerem Furiam?
Qui gratos aliis, suspectos reddis Amores?
Heu Capiti, vereor, dulcis Amice, tuo,
Quàm vereor, ne fortè novum lapis Orphea plectat,
Dum das Fœmineo tot mala verba gregi.
Balnea, Vina, Venus, conservant Corpora nostra:
Ast Tibi vix aliud Balnea, Vina, Venus,
Quàm lethale nefas, & Toxicæ dira videntur:
Tristeque erit, medicè vivere, lege tuâ.

Ne moveare tamèn. Furtivos carpis Amores :
Et quàm sint vetiti præmia foeda thori,
Purà mente doces. Venus est inimica Minervæ :
Commendat Musas nil, nisi castus Amor.
Ite procul Veneres, quarum nascuntur in hortis
Germina, Mercurii falce secanda gravi :
Ite procul Furia, sublimi pectore dicis.
Una sed è multis casta Puella Tibi
Coelitus obtinget, Studiorum sine peracto :
Moxque Tibi Laurum Cimber Apollo dabit.

l. m. q. s. scrib.

*Clariff. Dn. Doctorendo,
Disputationis sua Inauguralis*

PRÆSES.

